

gilasse accepimus. Quæ cum ita sint, te iure optimo fundatorem quietis, autoremq; aurei cuiusdam seculi, non solum Quirites, uerum etiam omnes Europæ incolæ appellent, & summis laudibus extollunt, & honoribus perinde ac deum in terris alterum prosequuntur. Sed hæc quanquam plenius explicare magnopere cupio de-  
mentissime princeps, tamen Theophrasti opus, quod mihi interpretandum decre-  
ueras, me iam ad se trahit, ut inspici à te celerius possit: quapropter de his aliàs latius,  
uti debeo, referre pro uirili mea conabor. Nunc Theophrasti libros de plantis fron-  
te hilari, pro tua solita humanitate accipies: quos credo traduci à me iusseras, non  
quod me satis id facere posse putaueris (parum enim ea in re me ualere, tu minime  
ignoras) sed ut hominem græcū latine dicentem aliquando audires. Nouitas enim  
rei non nihil delectationis afferre quoq; in genere potest. Mihi tamē res adeò meas  
uires excedere uisa est, ut nisi pro lege tuā uoluntatem firmissime mihi statuerem,  
facile hercle recufassem, quæ bene expedire non possem. Cæterū tua iussa tantum  
apud me ualent, ut quantulum ego summo cū labore alieno in cælo ferere possim,  
cogitare nō uelim, dum modo tuę uolūtatī morem gessisse uidear. Inspice igit & le-  
ge quoad tuæ occupationes permittant, libros quos iussu tuo in latinā cōuertimus  
linguam, atq; in tuo nomine adidimus: & si quid recte dixisse uideamur, id diuino  
tuo auxilio tribue. Te enim non secus ac deū pijsissime inuocantes opus incepimus.

20

THEODORI GRAECI THESSALONI  
CENSIS PRAEFATIO IN LIBROS THEO  
PHRASTI DE PLANTIS.



RAEFANDVM illud Heracliti dictum arbitror, quo abie-  
ctæ cuiusdam domunculæ aditū breuiter simul & pulchre mi-  
nus aspernandum asseruit. Is enim casam aliquando ingressus  
furnariam, sedisse ignis hyberni forsitan causa diutius dicitur.  
Quod cum à quibusdam interim quæreretur, quos eum uilissi-  
mum locū introire puderet: subridens ille, introite, inquit, sunt  
enim hic etiā dij. Nam etsi nobile, atq; graue studiū illud puta-  
ri debeat, quo te non uoluminis alieni interpretem, sed tui autorem exhibeas: ta-  
men non adeò contemnendum equidem interpretandi studium dixerim, ut nun-  
quam ad hoc digneris accedere. Est enim uel in eo ipso utilitas quædam, quam ne-  
gligi minime ab homine philosopho decet. Proderit nanq; hominibus non minus  
cum sententiam alicuius utilem aperuerit, quàm cū suam ipse docuerit. Nec illa di-  
cendi ratio deest, quæ depromenda sanè sit ex philosophiæ magistræ omniū rerum  
(ut ita dixerim) officina sermonis: cum de aliena lingua in tuā traductio exigat qui-  
dem, ut idem aperias: sed non idem, quod uulgus seruare in transferendo consue-  
uit: sed quod proportionē linguæ utriq; philosophus suo iudicio aptissime daret. Itē  
exprimi quidem ornate singula, præstantius est: sed nō adeò uerborum ornatui in-  
dulgendum, ut si quid non nisi mutata sententia transferre ornate ualeas, tueri ele-  
gantiam malis, quàm sententiam: quæ forma quodammodo est orationis. Vocabu-  
lorum etenim modum, utpote materiam quandam pro formæ istiusmodi ratione,  
non formam istam pro uocabulis capiendam philosophus nouit. Addo etiam impo-  
nendorum nominum aptam inuentionem, quæ cum in interpretando persæpe ne-  
cessaria sit, philosophia profectò opus est: quæ natura perspecta, nomina noua qui-  
dem, sed quod ad recte rationis iudicium pertinet, nullo minus reddat antiqua. Sūt  
enim

enim nomina rebus imposita, quemadmodum placuit: & poni quotidie pariter licet. Nec tempus ullum excogitare futurum ualeas, quo aut rerum inuentio, aut nominum impositio cesset. Non tamen id officium uulgo, cui temere omnia placent: sed philosopho certe homini rationum indagatori tribui debet, ut neque ratio desit nominum, & posita sint quemadmodum placuit: quanquam hac ratione potius, quam illa placuerit. Quamobrem interpretandi studium quamuis ampla quadam careat grauitate, spernendum tamen non ducimus: sed Heracliti dictum illud, deos immortales hic etiam esse, praefamur: atque ex ceteris philosophiae studiis, quibus nos dediti sumus, ad hoc nonnunquam uenimus: sed interest, quod partim libenter, partim non libenter id facimus. Cum enim ex latinis literis in graecam linguam uertendum aliquid est, libenter id uertimus: minore enim cum labore plura linguae usu paternae conficere possumus: an etiam non inepte, sit hoc aliorum iudicium. At cum latinis hominibus, quibus cum nunc uiuimus, aliquid nostrae linguae interpretari necesse est: hoc profecto libenter haudquaquam suscipimus. Sumus enim inter latinos, non minus lingua, quam patria peregrini. Quapropter non solum amplum, ac difficile quoddam opus uertendum in linguam latinam nunquam meo arbitrio mihi sumerem, sed etiam nec paruum quoddam aggredi auderem. Verum mihi quoque idem euenire planissime uideo, quod actum sponte, sed animo inuito refert Homerus. Quod enim alias nollem, facit ut uellem diuus Nicolaus, quem nostra aetas summum habere pontificem merito gloriatur. Hic enim ut libros Theophrasti de stirpibus latino aperirem sermone iussit: rem uehementer arduam, non tantum homini graeco, uerum etiam latino. Nam & genus istud scribendi longe copiosius, ut omnia, graeca lingua obtinet, quam latina: & latinis autoribus cura defuit, qua suis hominibus plenius haec, & quoad romana posset oratio, syncerius explicarent. Licet id uidere, cum in alijs singulis, tum in ijs, quae Plinius secundus exposuit. Nam ut caetera omittam (uix enim pauca inter tam numerosa eius capitula, menda mihi carere uidentur) quod de arboribus glandiferis inquit, monstrasse satis hoc loco futurum reor. Has enim arbores generis unius uocabulo amplecti latinum sermonem posse omnino negat: ea credo de causa, quod nullum inuenerit, quod illi graecorum generi responderet, quod *σπύς* dicitur. Itaque quatuor quaedam genera reddit: Quercum, robur, esculum, cerrum: & graeca illa adiungit, *ἡμισπύς, ἀγίλοπα, ἀλίφλοιον, πλατύφυλλον*: quasi quatuor haec, latinis quatuor illis respondere non possent. Nec robur pro communi omnium genere capi satis apte liceret. Sic per incuriam autor ille cum minus dilucide docet, tum inopem plus, quam sit, latinam linguam ostendit. Magna etiam in reliquis autoribus percipi potest negligentia. Quae tamen singuli ignorarunt, uel neglexerunt, colligi magna fere parte in omnium simul operibus possunt. Sed quam laboriosum id sit, uel ex interpretibus, tum antiquis, tum hisce nostrae aetatis, argumentum deduci facile potest. Prisci enim illi si quid traduxere, forensis id certe generis oratio est: aut rerum gestarum narratio, aut de uita hominum disputatio. Quae quidem dicendi genera, si non aequae plene, atque lingua graeca sermo latinus conficere possit: paulo tamen arctius potest. At commentationem plantarum attingere nemo ausus est: ob eam credo difficultatem, quae plus laboris, quam laudis afferret. Elymum enim & zeam, & olyram, & caetera generis eiusdem, quibus nam nominibus latini appellent inuenisse non est, qui non summo labori tribuerit. At cum panicum, & semen, & siliginem, & reliqua dicentem interpretem audis: nil penitus esse arbitraris de cuius inuentione laudem ipse mereatur. Inter iuniores uero scilicet nostrae aetatis homines, aut paulo antiquiores, qui elegantius interpretari studuerint, alia quaedam sibi traducenda sumpserunt: plantarum uero laborem, nec isti pati ullo pacto uoluerunt. Qui autem, ut latine singula dicerent mi-

nus curarunt, græcis ipsis uocabulis usi adeò sunt, ut nullum ferè fructum ex eorum interpretatione homo latinus capere possit. Itaq; si eos quoq; difficultatis potissimum causa nihil de plantis aperuisse putaueris, haud quicquam mea sententia erres. Fit ergo & autorum, seu ignauia, seu ignorantia, ut magna cum difficultate conuerti hæc possint in linguam latinam. Verum non minus difficultatis, quinimò longe plus parit linguæ ipsius inopia. Minus hoc fortasse credibile latinis hominibus propterea dici uidetur, quod M. Tullius, ne uerbis quidem à græcis latinos superari autumat. Sed qui libros non solum latinos, sed græcos etiam pari studio lectitant, facile re ipsa persuaderentur M. Tullij sententiã incredibilem potius esse arbitrari. Quod equidem, ut uere de me cõfitear, haud ita esse uehementissime uellem; minus enim in hisce interpretandis nunc elaborarem, si M. Tullius non ex minimis quibusdam, quæ fortasse latini melius habent, simplici quadã, atq; absoluta oratione cauillaretur, sed ueram sententiam diceret. Nũc uero quàm laborandum sit, non solum, ut priuata quædam, & rari usus uocabula, sed etiam pleraq; apud græcos usitatissima, & in promptu omnibus habita, latine dicamus, uel hinc satis possit intelligi: inter herbam enim & fruticem Græci genus tertium reddunt, idq; phryganum nomine usitatissimo uocant. Latini autem eo nomine uacant, nec quatuor genera faciunt, sed arboris, fruticis, herbæq; appellatione uniuersas plantas amplecti se satis existimãt. Item, quid apud Græcos usitatus sit acremone: quod ramos prægrandes significat, in quos arbor cõtinuò post caudicem spargitur. At apud latinos nullum proprium nomen inueneris: sed ramos, tam eas partes, quàm germina anicula dices. Addo opismum & chylismum, quorum differentiam nullus inter latinos autores nominibus proprijs exprimere potuit. Succatio em̄ uel liquatio, utriq; potius commune, quàm alterutro propriũ reddi debeat. Facit igitur & linguæ inopia, ut perardua sit plantarum interpretatio. Auget uero laborem, uel autorum magna in multis dissensio. Cum enim herbam, quam Græci ἀέζωον uocant, alius Iouis caulem, alius uitalem, alius digitillum, alius sedum appellet: quis sequendus potius sit, haud sine magno labore possit decerni. Etsi fortè in his minutijs tam laborari curiosum nimis esse credideris, at arborem insignem, aut fruticem memoratu dignum, inconsideranter cœpisse, quis non summo errori dederit? Vt abieti similem illam arborem, quam Græci ὄξυαν uocant, quonam certo debeat appellari nomine inter latinos minime constat: alij enim fagum, alij scissimam, alij ornum appellasse appareant. Idq; coniectura assequi tantũ potueris. Nullus enim aperte de hac arbore scribit. Sed quod faguim, quidam in tenuissimas laminas secari dixerint, nõ eam fagum significari putatur, quæ glandem fert, & scabra materie constat: sed arborem potius illam, quam Græcos ὄξυαν appellare proposui: eam nanq; ita secari omnium præcipue posse uidemus: qua de causa scissimam alijs appellare fortasse placuit. Verum quod manifeste nemo docuerit, hæsitare interpretem, & laborare necesse est. Hoc idem uel in alijs plerisq; conspici licet. Sed omnium durissimum illud certe accidit, quod textus propositi operis, mēdosus adeò est, ut nulla ferè pars sit exemplaris, quod unum tantum habere possumus, quæ uel librariorum inscitia, uel alia temporum offensa non tam deprauata sit, ut & summa cum difficultate sit emendandum: & nonnulla intermitti necesse sit, quæ uix congrue intelligi possint: præsertim in ijs libris, qui de plantarum historia describuntur. Quas ob res difficilissimam porrò prouinciam nobis hanc summus pontifex delegauit, remq; profectò nostras uires penitus superantem, expediendam mandauit. Sed quid agam? Fieri non potest, ut eius principis iussa recusem. Res enim nulla tam plena laboris est, ut eam aggredi iussu diui Nicolai nõ debeam: quem deos immortales idcirco tam amplo principatu magnificasse existimo, ut eius singulari uirtute, humanum genus felicitatem

licitatem seculis memorandam omnibus ualeat adipisci. Quem ego non solum, ut dominum colo, & omni officio, uel potius pietate, obseruo: sed etiam ut uirum doctissimum, omnisque uirtutis genere præditum, animo summe beneuolo amplector. Aggrediar igitur, quæ meus hic dulcis tyrannus interpretari coëgit: & partim plantarum nomina, quibus latina lingua non caret, diligenter pro uiribus quæram: partim noua, rebus nouis nomina imponam, ubi id non inepte pro meo modulo face-  
 10 re possim, & ex fonte deducendo Græcorum, quoad liceat Latinorum succurrā inopiæ. Nonnusquam etiam græcis utar, aut quia usitata latinis hominibus sint, aut quia proferri aliter nequeant. Denique singula textus græcæ orationis adeo perse-  
 20 quemur, ut ne minimum quidem prætermittere uideamur, quoad scilicet sine abs-  
 sona, & barbara illa Gulielmi interpretis locutione, quæque græca latine aliquo pacto exprimi possint. Hanc enim cum in his omnibus Theophrasti libris probemus, tum maxime in his sex, quos de generatione, siue de causis plantarum addidit, percomodam ducimus: quippe cum rerum rationes naturalium dilucide potius traduci, quam eleganter desiderent. Sæpe namque rationes rerum, elegans latina peruertit traductio: præsertim eas, quas Peripateticorum ille æquabilis, eruditus, seuerus, minusque benignus sermo exponit. Sed forsitan non solum hæc prædixisse, uerum etiam deum aliquem inuocasse par est. Nam si in secandis quibusdam radiculis deos precari necessarium creditur: cur non in interpretandis omnibus plantarum generibus, hoc idem facere longe magis cõueniat? Igitur diuinum implorandum auxilium est. Sed quem potissimum deum uocemus: an non Syluanum, non Pana, non Cere-  
 rem, non Dryades, non Faunos: non eiusmodi aliquem, sed quem uera religio deum, aut iam habet, aut post nescio quot annos habebit. Ita hercle ac decet ipsum sanctissimum patrem inuocemus, quem uniuersa iam Europa, ob eius integerrimam uitam, innumeraque erga omnes beneficia, diuum appellat: deumque proculdubio post appellabit, cum immortalium petet collegium. Ergo tu diue Nicolaë, namque deus iam mihi es, ad sis obsecro, & fructum nonnullum no-  
 ster hic labor pariat hominibus, facias.